



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Canones Directivi Confraternitatis Sacerdotum Bonae Voluntatis, Sub Invocatione Domini Nostri Jesu Christi in Cruce morientis

Dirckinck, Johann

Coloniae, Anno 1709

VD18 12518239

Confirmatio Archi-Episcopals Coloniensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51869](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51869)

nura per nos concessa fuerit, eadem præ-
sentes nullius sint roboris vel momenti.
Datum Romæ apud sanctam Mariam ma-
jorem Anno Incarnationis Dominicæ Mil-
lesimo sexcentesimo octuagesimo septi-
mo, quinto idus Augusti, Pontificatus
nostri Anno undecimo.

(L. S.)

J. CIUCHIUS.

H. S. COSTA.

*Confirmatio Archi-Episcopalis Co-
loniænsis.*

CRato Wernerus liber Baro de Pal-
landt Serenissimi & Reverendissimi
Principis ac Domini Domini Maximiliani
Henrici Archi-Episcopi & Principis Ele-
ctoris Coloniensis &c. per Civitatem &
Diœcesin Osnabrugensem in Spiritualibus
deputatus Vicarius Metropolitanus
Generalis, & Cathedralis Ecclesiæ Osnab-
rugensis Decanus, universis ac singulis
has nostras litteras visuris, legive auditoris
salutem in Domino.

Præsentatæ nobis fuerunt nuper pro
parte

parte venerabilium nobisque dilectorum
 pro tempore Inspectoris & Definitorum
 aliorumque Contratum Confraternitatis
 Sacerdotum Bonæ voluntatis nuncupatæ
 litteræ Apostolicæ SSmi Domini nostri In-
 nocentii Papæ undecimi sub plumbo in fi-
 lis canabicus appendente, tenoris sequen-
 tis. *Vide litteras Apostolicas supra.*

Post quarum quidem litterarum Apo-
 stolicarum præsentationem & receptio-
 nem, Nobis & per Nos (uti præmittitur)
 cum debitâ Sedis Apostolicæ reverentiâ fa-
 ctas, fuimus pro parte Officialiû, aliorum-
 que Contratum supradictæ Confraterni-
 tatis debito modo requisiti, ut eandem
 Confraternitatem authoritate Apostolicâ
 nobis delegatâ in perpetuum confirmare-
 mus, eidemque Confraternitati Indul-
 gentias concederemus.

Nos igitur volentes Mandatum Apo-
 stolicum exequi (cum narrata in litteris A-
 postolicis vera existant) prædictam Con-
 fraternitatē sub titulo seu Invocatione D.
 N. Jesu Christi in Cruce morientis nec non
 omnes & singulas ejusdē Confraternitatis
 ordinationes & constitutiones auctoritate

Apostolicâ nobis delegatâ in perpetuum approbamus & confirmamus, illisque perpetuæ & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, cum clausulis in prædictis litteris Apostolicis fusiùs contentis, nec non constitutiones & ordinationes hujusmodi perpetuo validas & efficaces fore & esse, suisque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac tam per modernos Inspectorem & Definitorum aliosque dictæ confraternitatis Sacerdotes perpetuo firmiter observari debere, ut si secus super his à quoquam quomodolibet contigerit attentari, irritum & inane id ipsum decernimus, prætereaque ut prædictæ Confraternitatis Sacerdotes juxta tenorem litterarum Apostolicarum Indulgentiis in perpetuum gaudere possint, Autoritate Apostol. Nobis delegatâ concedimus & indulgemus. *In quorum fidem præsentem manu propriâ subscripsimus, & officii nostri sigillo communiri fecimus. Osabrugi in curia Decanali Cathedralis Ecclesiæ die tertia Mensis Maij Anno 1688.*

(L. S.)

C. W. BARON de PAL-
LANDT, m. p.

Con-